

vulneris magnitudine parcior aut frequentior fieri debet, ita ut sæpe una, duæ, tresve sufficiant, aut etiam plures in majori vulnere requirantur, quarum una ab altera digitorum transversum distare potest, unde hæc sutura interscissa, a Gallis *l'entrecoupée* appellari solet. Labiis ita sufficienter perforatis, filisque transmissis labia vulneris ad se invicem probe adducantur, & quodvis filum nodo chirurgico satisfortiter constringatur, unde & a multitudine nodorum sutura hæc nodosa dicitur. Primæ vero nodi constrictioni linteolum exiguum convolutum imponatur, denuo postea constringendo ne labia tam facile a filo dissecentur. Quem ob finem etiam puncturæ acuum ad digitorum transversum a margine vulneris distent.

THE S. XII.

Si autem sola cutis, pinguedo & muscoli sine peritoneo dissecti sunt, in vulneribus paulo majoribus, ne per illam dissectionem peritonæum debilitatum pressioni diaphragmatis cedat, herniamque producat, gastroraphia quoque adhibenda; cum vero peritonæum non sit dissectum, ideo etiam acubus non est perforandum, sed tantum muscoli, pinguedo atque cutis transfodiantur, sutura de reliquo fiat eodem modo ac præcedenti S. dictum.

THE S. XIII.

Omentum vero solum vel simul cum intestinis prolapsum probe examinetur, num adhuc humidum, calidum & rutilo cruore rubescens sit, tunc blanda digitorum pressione in cavum abdominis illico reponatur. Omentum vero non semper una cum intestinis exit, sed quia in quibusdam subjectis tam breve est, ut vix ad umbilicum descendat, ideo etiam in vulnere sub umbilico non prolabetur, multorum autem omentum, cum usque ad scrotum se extendat, facile etiam per vulnus abdominis excidere potest. Si vero omentum frigidum, lividum & siccum reperiat, corrupta pars prius auferenda, nam omentum propter tenerrimam sui structuram facillime gangræna corripitur, quia ex-

B

ternus